DE OBESITATE NIMIA

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI SIBI

IN

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE CONCEDANTUR

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERRMANNUS MARCUSE

VRATISLAVIENSIS.

DIE VI. MARTII A. MDCCCXIX.
H. L. Q. S.

BEROLINI
TYPIS AUGUSTI GUILELMI SCHADII.

VIRO

HONORATISSIMO, DIGNISSIMO

F. B. HUBER

PATRONO BENIGNISSIMO

NEC MINUS

VIRO

HONORATISSIMO REVERENDISSIMO

C. A. E. NEO

GRATA PIAQUE MENTE HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Caput primum.

De pinguedinis natura.

§. 1.

De nimia obesitate commentariolum conscripturo operae pretium facere mihi videbar, si antequam ad ipsius libelli argumentum accederem, in pinguedinis naturam inquirerem, qua quidem illustrata, lucem sperare licebat et illi esse oborturam.

Pinguedinis [1]) autem nomine oleum dicitur vel potius oleo simile aliquid in corpore animali genitum et omnis fere odoris saporisque expers.

Quod utrum inter rigidas corporis humani partes, an inter liquidas sit numeran-

1) Pinguedo plura apud veteres nomina habuit. A Graecis enim πιμελὴ, πίαρ, πίειρον, στέαρ, ἀλοιφὴ appellabatur, quibus Romanorum adeps, sevum, axungia, sagina, unguen rel. respondent. Qua nominum varietate varia pinguedinis genera eos distinxisse, manifestum fit ex iis, quae referunt Aristoteles et Plinius. — Aristoteles de part. anim. Lib. II. Cap. 5. oper. edit. du Val T. 1. p. 984. τὰ δὲ ἀμφοδόντα καὶ πολυσχιδῆ πιμελὴν ἔχει ἀντὶ στέατος — Plinius Lib. XI. Cap. 29. ed. Harduin 1741. p. 632. 8. Cornigera una parte dentata, et quae in pedibus talos habent sevo pinguescunt, bisulca scissisve in digitos pedibus et non cornigera, adipe.

dum, in magna apud veteres versabatur controversia, quorum sententias iam ab Andrea Laurentio [2]) recensitas copiosius referre vix attinet. Neque minor inter recentiores ea de re dissensio est, quum Lorrius pinguedinem sani corporis natura esse regida ac dura dicat: Reilius contra, Autenriethius, Waltherus ac Willbrandus eam liquidam ac mollem rigidiorique textui celluloso quodammodo oppositam esse contendant, quorum meo quidem judicio nemo erat, qui sat firmis argumentis causam suam probasset. Quod enim plurimi veterum pinguedinem rigidarum partium classi attribuunt, eatenus sane a vero, aberrarunt, quatenus aut vesiculas cellulasque pingue in se continentes a pingui ipso non satis distinxerunt, aut iis nimis sunt confisi, quae experimenta in animalibus capta docuerant: liquidis autem partibus qui annumerant, inter alia eam quoque ob causam in errorem videntur adducti, quia pingue, quod extra corpus positum leni calore liquescit, dum intra corpus foveatur, huic insito eoque longe maiori calore necessario colliquescere crediderunt, nec satis reputarunt, pinguedinis mollitiem et duritiem non pro innato corpori calore, sed pro universi corporis indole differre, ideoque in variis variare animalium generibus [3]).

---

2) Andr. Laurentius historia corporis humani et singul. eius part. anat. ed. Heist. Lugd. 1605. p. 220.

3) Ita adipem renalem in quadrupedibus invenimus densissimam, quam constat in piscibus mollem esse aërisque frigore

Attamen omnem litem arbitror facile posse dirimi, si pinguedinem statuas inter liquidas et rigidas humani corporis partes mediam esse collocandam atque unguentum quoddam animale referre.

§. 2.

Jam ad rem propius accedentes, primum videmus, pingue ad reliquorum oleorum similitudinem ab omni cum aqua tum frigida tum fervida intimo connubio abhorrere, quibus tamen aliquanto difficilius flamma corripitur; etenim dum igni imponitur, illico fumat crepitatque, mox adeo effervescit, ut vapores effundat foetidissimos subitaque flamma deflagret. Deinde pinguedinem pondere ab aqua superari constat, unde fit, ut nimis obesi aqua emergant, tardiusque quam macilenti in fundum rapiantur. Cujus rei nobis exemplo est sacerdos Italicus nomine Mocciae, qui cum deprehendisset se ab aqua ferri, audacior factus idem natandi periculum in alto mari felici cum eventu iterum fecit, et quanquam corpus hominis trecentas libras Neapolitanas pondere aequabat, tamen aequali aquae portione triginta libris levius erat. Nec minus eas partes, in quas pinguedo putrescens seiungitur, aqua esse leviores ex iis evincitur, quae Lorrius 4) narrat:

---

vix congelandam; qua de re plura qui desiderat, Bacchinum adeat. Bacchine Diss. de adipe hum. Traj ad Rhen. 1774. p. 3.

4) Abhandl. von dem Fett im menschlichen Körper etc. in den Sammlungen auserl. Abhandl. für pract. Aerzte. Bd. IX. S. 226.

se in vesica hominis tabe vesicaria peremti adipem invenisse putrem urinae graveolenti supernatantem, in qua sanguinis stratum sedimento albido beneque cocto incubuerit. Atque idem obtinet in variis corporis humoribus, qui cum incipiente corruptela suam quisque indolem exuunt, tenui pinguedine obducuntur. Neque hoc veteribus ignotum fuit, immo butyro parando dedit occasionem. Scythae enim, qui ejus inventores feruntur, lac equinum in vasa lignea immisere multumque agitando effecerunt, ut pingue in summum liquorem secederet, gravia autem et crassa in eo subsiderent [5]).

§. 3.

Quibus breviter expositis, quaestio existit de mixtura pinguedinis. Hanc autem ex duabus potissimum partibus constare, eundem Lorrium auctorem habemus, quarum prima et ea quidem praecipua oleo e seminibus plantarum expresso sit comparanda: altera muco herbarum nutrientium in eo quoque congruat, quod non sit aequaliter per totum adipem distributa, sed aliis corporis locis maiori, aliis minori copia contingat, ab aliis denique veluti ab ossium medulla prorsus

5) Quod auctor libri de moribus Libr. IV. Art. XXV. No. 20 usq. 29. edit. Lind. his verbis refert:

Οἱ Σκύθαι ἐγχέοντες τὸ γάλα ἐς ξύλα κοῖλα σείουσι. τὸ δὲ ταρασσόμενον ἀφριᾷ, διακρίνεται καὶ τὸ μὲν πῖον, ὃ βούτυρον καλέουσιν, ἐπιπολῆς διΐσταται ἐλαφρὸν ἐόν, τὸ δὲ βαρὺ καὶ παχὺ κάτω ἵσταται. ὃ καὶ ἀποκρίναντες ξηραίνουσιν. ἐπὴν δὲ παγῇ καὶ ξηρανθῇ ἱππάκην μιν καλέουσιν. ὁ δὲ ὀῤῥὸς τοῦ γάλακτος ἐν μέσῳ ἐστίν.

exulet, nec nisi eo ab illo differat, quod ipsa subtilior sit et animalis naturae particeps. Gluten quoque animale utrum, quod Autenriethio videbatur [6]), ad adipem componendum accedat, an mucus ille glutinis vicem obtineat, ut Jansenius [7]) perhibet, nondum affatim liquet, neque magis constat de bilioso quodam adipis elemento, quod Lorrius statuit, etiamsi non negandum est, mirum inter fel et adipem intercedere consensum, et experimento patet, bilem petrae oleo admixtum, si igne tractaveris, in massam coire sebaceam.

§. 4.

Verum ut omnia, quae vivo in corpore continentur, quando aut ab eius consortio sunt seiuncta, aut ipsum vita defunctum est, variis deinceps mutationibus obnoxia paullatim putrescunt, ita pinguedo etiam eadem lege, quamquam peculiari modo, corrumpitur. Etenim, quum vi vitali orbata est, aëris imperio aegrius obtemperat, in mucum et oleum, e quibus conflata erat, rursus discedens; procedente autem corruptela, mucus acescit, acidumque halitum spirat, oleum vero subviridi involucro obtectum in rancorem [8]) abit, donec tandem omnia in sapo-

---

6) Handbuch der empir. menschl. Physiol. Th. II. §. 76.

7) Abhandl. vom thier. Fett aus dem Lat. übers. v. J. C. Ide, Halle 1786.

8) Grull de rancore L. B. 1777. — Gaubius pathol. §. 175. — J. C. Gehler de oleosis pinguibus rancidis Lips. 1776. — Gmelin Geschichte der Pflanzengifte S. 804. —

nem convertantur fragrantissimum. Hinc intelligitur, adipis putredinem esse peculiarem et neutiquam cum fibrae vel lymphae animalis putredine comparandam, siquidem adeps phosphoro ac nitrogenete, quibus illae abundant, prorsus caret et natura rancoris in eo posita est, quod elementum sebaceum aëris oxygenete sensim imbuatur atque adulteretur, unde apparet, quare animalium quam herbarum pinguia oxygenete ditiora ad rancorem magis vergant. Neque si minorem adipis ad corruptelam proclivitatem spectes, et in summam, qua vel minima eius particula polleat subtilissimi alimenti ubertatem respicias, Hewsonium 9) contendisse mireris, pinguedinem a natura factam esse, ad corpus nutriendum atque reficiendum.

§. 5.

Nec vetustate et corruptione solis, sed chemico etiam artificio adeps in varia disiungitur elementa, quod obiter tantum perstringam, quum res tot tantorumque virorum industria sit pertractata 10). Primum qui-

---

Brandis de oleorum unguinosorum natura. Gott. 1785. — C. Fr. Stuppe de pinguedinibus animalium subdulcibus ac temperatis. Franc. ad Viadr. 1762. — Ekeberg Diss. de materiis oleosis e regno animali. Upsal. 1789. — H. A. Vogel Diss. sur la graisse et sur quelques médicamens qui en dérivent. Par. 1806, übers. in Tromsdorfs Journ. d. Pharmacie Bd. XVI. St. 1. S. 173.

9) Hewson Versuche über das Blut und die coagul. Lymphe in d. Samml. auserl. Abh. für pract. Aerzte. Bd. IV. S. 369.

10) Crells chem. Annalen Bd. I. S. 60. II. S. 112. IV. S. 47. Thenard annales de chim. Tom. 39. übers. in Scherers allgemeinem Journ. der Chem. Bd. VIII. St. XLVIII. S. 127.

dem inter haec locum obtinet hydrogenetes, qui quum in quovis oleo tum in adipe prae ceteris elementis antecellit, ut non sine ratione Reilius [11]) existimarit, quidquid hydrogenetae per pulmones non potuerit exhalari, a pinguedine absorberi, adipis indolem plantis congruere, oppositamque esse vegetiori musculorum vasorumque naturae. Alterum pinguedinis elementum est carbo, plantarum naturae et ipse consentaneus; tertium denique oxygenetes, praeter quem et acidum sebaceum [12]) inesse alii confirmant, alii negant, quod tamen ni adipem igne probaveris, nunquam inde elici constat, quare artificio magis procreatum dixerim, quam ipsi pinguedini innatum [13]). Hactenus de elementis adipis. Jam videndum, quaenam sibi corpora admisceri permittat, quaenam recuset. Atque aquam eum aversari jam supra dictum est, quacum tamen vel gummi vel muco vel albumine vel saccharo intercedentibus quandam inire societatem deprehenditur; subinde autem cum camphora et resinis et balsamis sulphureque coniungitur et cali tam avide appetit, ut ambo in saponem coalescant [14]); sed neque vini spiritu dissolvitur, neque aci-

---

11) Reil Archiv. für dle Physiol. Heft II. S. 63.

12) Graauwen Diss. de pinguedine. Gott. 1767. — Knape Diss. de acido pinguedinis. Gott. 1754.

13) Walther Physiol. des Menschen mit Rücksicht auf compar. An. Cap. X. S. 342. — Brandis l. c.

14) Fr. G. Voigtels vollst. Syst. der Arzneimittellehre, herausgeg. v. D. C. Kühn. 2. Bd. 1. Cap. S. 179. Lpzg. 1816.

da mineralia ad eum solvendum quidquam valent, nisi iis arescat atque in glomuscula glarietur aqua haud subigenda. Sulphuris enim acido solidescit viridemque induit colorem; cum nitri acido mediocri calore coniunctus, vi oxygenetae, quem inde attrahit, in unguentum degenerat flavidum subamarumque. Quod autem ad acida plantarum, nihil in adipem possunt, et si quid possunt, in mucum magis quam in oleum posse crediderim.

Ignis autem vi phosphori quidem nihil, olei vero foetidissimi magnam partem pinguedine extricari notum est, neque omittendum, quod Autenriethius docuit, lympham animalem acido nitri solutam adipis similitudinem referre [15].

§. 6.

Quem adeps inter contextum cellulosum locum occupet, cum vel maxime rudi anatomia evidentissime appareat, ne veteres quidem fugere potuit; qui quamvis peculiarem quendam adiposum panniculum statuerint, de modo tamen, quo adeps in contextum cellulosum inseratur et omnino de totius telae cutaneae structura, nihil fere quidquam accuratius docuerunt, quod anatomiae eorum ex Halleri sententia [16] neque subtilitate neque ambitu cum nostra comparandae non immerito imputaveris. Nostro demum aevo prae-

15) l. c. III. §. 673.

16) Elem. Phys. P. I. p. 9.

stantissimis quibusdam anatomis Malpighio, Ruyschio, aliis contigit, ut hanc quoque materiam splendidiori luce illustrarent [17]). Constat enim, adipem in corii parte inferiori innumeris vesiculis membraneis esse circumseptum, in superiori autem corii parte, cryptas sebaceas inveniri, seu folliculos sebaceos, i. e. sacculos, qui in externam cutis faciem exeuntes, vi sebi cutanei in ipsis secreti cutem lubricam et lentam conservant et a damnis tuentur [18]). Illas autem vesiculas, quas oculus ope instrumentorum quorundam cernere potest, et in medulla ossium et in reliquo adipe, quamquam inter se maiora modo, modo minora glomuscula faciunt, quibus nutriendis rete vasorum sanguiferorum conducit, non possum tamen Jansenio [19]) largiri, nulla inter se societate coniunctas, secretamque omnino esse adipis tam exiguam partem a reliquo. Immo vel contrarium affirmaverim, si exhalantia ora vasorum in cellulas adiposas diffundi sebumque cutaneum in cryptis sebaceis ab adipe segregari meminerim; quam ad confirmandam sententiam interpres libri Janseniani haec narrat: Afri enim struthiones in venatu occisos, facta in cervicibus

---

17) Albinus in annot. acad. Lib. I. Cap. 1—5. — Haller elem. phys. Tom. V. p. 1. — Malpighius de oment. et adipos. ductu. edit. Lugd. T. 2. p. 204.

18) Ludwig Diss. de humore cutem inungente. Lips. 1748 vid. Halleri Diss. anat. T. VII. Part. 2. p. 33.

19) l. c. p. 68.

incisura, eo usque quatiunt, donec omne pingue ex illorum corporibus emanaverit.

§. 7.

Adeps quamquam quovis in corpore invenitur, neque corpus ullum adeo erat emaceratum, quin adipis aliquid continuisset, non tamen neque omnibus locis inest, neque ubicumque contextus adsit cellulosus [20]), animadvertitur; hinc fuerunt, qui uti Hunterus [21]) et Gregorius [22]) textum cellulosum in reticulatum et adiposum distinxerint. Attamen non in sola superficie adeps diffunditur, verum etiam omnium paene musculorum intervalla et lacunas penetrat impletque, itidem inter fasciculos maiorum nervorum interest [23]), in cava ossium una cum contextu celluloso descendit, quo in loco ossium medullae forma induitur. Jam primo adspectu animadvertimus, in exteriori corporis parte non omnibus locis adipem aequaliter esse dispersum; sic superiora loca tantum adipis nunquam nanciscuntur, quantum inferiora, quod Walthero ex sublimiori vita illarum partium deducendum videtur: contra ea, quae impressioni magis exposita sunt loca, maiori gaudent adipis copia, quam illis bene sapienterque natura concessit veluti volae ma-

---

20) Th. de Bordeu Recherches sur le tissu muqueux. Par. 1766. Deutsch Leipzig 1772. — Bichat allgem. Anat. T. I. erste Abth. p. 93.

21) Medical observations and inquiries. P. 2. p. 29.

22) Gregory Consp. med. theoret. Edinb. 1782. P. I. p. 53.

23) Autenrieth l. c. III., § 866.

nus, cava humerorum, plantae pedum [24]). Neque minor est varietas obesitatis, quam in internis corporis partibus animadverti licet; aliis enim, uti oculo natura involucrum sebaceum largita est, in omento autem et mesenterio tam copiose adeps deponitur, ut non nemini illae regiones fabricae quasi adipis visae sint; quae quidem hanc ob causam et eaedem fomes sunt nimis et morbose cumulati adipis. Contra plurimae corporis partes prorsus ab adipe destitutae inveniuntur. Quot enim turbas excitaret intra vitalia collectus? quae damna daret iis locis accumulatus, quae nervorum imperio submissa intensiori sentiendi vi pollent; quae, si vel in ipsa intelligendi officina sedem fixisset suam? Hinc viscerum pulpa, sensuum organa maximam partem, genitalia utriusque sexus adipe prorsus sunt destituta. Quibus nutriendis ut consulatur, substitutam habent materiam similis cum adipe naturae, pituitosam et serosam. Quam quidem materiam cum Jansenius, Boerhaavii auctoritati nimium tribuens, vel ipsum adipem esse contendit, me quidem consentientem non habet.

§. 8.

Quemadmodum autem omnis cutis telaque cellulosa, ita adeps quoque quavis fere aetate novam induit formam alius in infante, alius in adolescente, alius est in sene. In

24) Quae in natibus maxima adipis copia deposita invenitur, id Hallero iudice hominis a simiis non exiguum discrimen est.

foetu quinque mensium vix quidquam inveneris quod cum adipe comparari liceat; in semestri demum aliquid pinguedini simile animadvertitur, sed in trimestri infante subcutanea apparet et tremula quaedam gelatina procul a corporis penetralibus. Obiter animadverto, quam sit mirum; quod in altero vitae termino, in senectute extrema, longe contrarium fiat, nimirum ut adeps ab exteriori corporis orbe recedens in interioribus partibus, uti praesertim in omento, mesenterio nonnunquam circa cor accumulatus inveniatur [25]. Redeo in viam. Jam in infante augetur in dies pinguedinis copia, prae ceteris aetatibus circa omne corpus aequabiliter divisa, quam aequabilitatis laudem cum solo mulieris flore communem habet, uti haec plurima omnino offert, quae quantum ad physicam rationem cum infantili aetate conferri possunt. Ceterum quod de qualitatis differentia inter infantilem et aliarum aetatum adipem, candidior ille est, mollior, subtilior, quod Lorrio ex infantili corpore acido praegnante deducendum videtur. Iuvenili aetate adeps aliquantum diminutus paullatim crescit, donec virili aetate, proprio tum pinguitiae tum morbosae obesitatis tempore summum gradum obtineat, ut hac aetate paene dixerim naturam futuro decremento prospexisse: nam provectiori aetate adeps in

---

25) Schulz Diss. de obesitate. P. 9. — William Hunter l. c. P. II. p. 32.

dies magis deminutus, absumitur; textus cellulosus, olim adipe aequaliter impletus et intensus collabitur; musculorum et nervorum intervalla, olim aequata et expleta, nonnullis locis, praesertim in facie, dissolutiora fiunt, unde habitus ille senilis repetendus est [26]. Ipse adeps ante quam plane absumitur, in dies flavidior fit, maioremque et duritiem et rigorem nanciscitur, quae fortasse inter causas senilis tarditatis referenda. Praeter hanc aetatum differentiam, locorum quoque ab adipe occupatorum descrimen respiciendum est; nam earum regionum, quae uti artus aut impressioni aut triturae maiori expositae sunt, adeps rigidior et densior: aliis autem locis mollior est et delicatior; renum adeps candidior, viscerum austerior, et sic deinceps de pluribus.

§. 9.

Superest ut de generatione adipis disseramus, qua quidem de re quamvis plurimae ferantur doctissimorum hominum coniecturae, nulla tamen Reilio iudice insignis rei obscuritas depellitur. Fabulosae sunt veterum de adipe sententiae, quorum alii illum a semine derivarunt, alii pancreas eius esse officinam opinati sunt, alii denique venae portarum plurimum in generando adipe tribuerunt [27].

---

26) Ueber die Zerglieder. des menschl. Körpers im Alter, von D. B. Seiler in Reils Archiv für die Physiol. Bd. VI. Heft 1.

27) Rod. a Castro de morbis mulierum. Lib. III. p. 375.

Hallerus demum coniecturam de generando adipe proposuit, quae quamquam minime satisfacit, plurimorum tamen studia movit, assensoresque nacta est plurimos. Captus enim doctrina praeformatorum germinum, quae in generatione hominum statuerat, in sanguine quoque praeformatum adipem inesse coniecit, qui una cum illo circuitum conficere et per parietes vasorum exsudaret. Auctoritas huic coniecturae accedere videbatur ex periculis, quae Morgagnius et Malpighius fecerant, quorum ille ex vasis amputatis adipem guttatim, hic ex vasis ranarum globulorum specie emanantem vidisse sibi videbantur. Nuper Roosius Halleri ceniecturam ita exornavit, ut in parietibus vasorum laterales canales statueret, per quos animale oleum secerneretur. Quamquam autem, quae ad hanc coniecturam infirmandam obiici aut solent, aut posse videntur, uti quidni adeps per arterias in pulpa viscerum exsudet, aut quidni in cerebro idem secernatur, aut cur in foetu ad sextum usque mensem adipis vestigium nullum appareat, quamvis sanguine non caret, facili negotio refelli et refutari possunt; sanguinem enim, quamvis ubique pinguedinem secum ferat, neque illis regionibus neque illo iam tempore ad exsudandum adipem esse propensum respondere licet; et Waltherus raritatem adipis circa cor et in capite a sublimiori oxydatione arteriarum coronariarum et carotidum deducit, qua sanguis ad secernendum adipem ineptus

fiat; non tamen multum huic utut eleganti parum tamen experientia confirmatae coniecturae tribui posse videtur. Neque satis idonea caussa apparet, cur urinam quidem et semen non in sanguine praeformata ponas, adipem autem iam praeformatum ponas; scilicet quod ad illarum secretiones satis amplum apparatum videmus, ad adipis autem secretionem nullus apparet, quippe qui facile ea sit subtilitate, ut oculos nostros fugiat. Quas enim Malpighius adipis glandulas reperisse sibi visus est, de quibus Hunterus tamquam de re explorata loquitur, nemo dum vidit, neque opus est, ut refellatur coniectura, quam auctor ipse retractavit.

§. 10.

Non magis, quam in humano ovo germina praeformata, in sanguine adeps praeformatus adest; elementa tantum adipis carbo et hydrogenetes in sanguine extant, quae singulari actione in adipem coniunguntur; de ratione autem secretionis per terminos arteriarum factae nihil novimus, neque sublimior apparatus num adsit, et si adest, qualis sit, scimus. Quaenam res tum ad promovendam, tum ad cohibendam adipis secretionem aliquid momenti habeant, copiosius alio loco exponam; nunc monuisse sufficiat, tranquillitatem [28]) plurimum ad id promovendum conferre; hinc sub cute, quae, si in universum spectas, non multum movetur, optime procedit. Absorptionem adipis

---

28) Sprengel instit. med. Tom. II. p. 1. §. 81.

veteres venis attribuerunt sed quamquam id nonnullis experimentis probare videntur, immerito. Quid? quod vel eo tempore, quo lymphaticorum vasorum officia iam innotuerant, propter admirabilem absorptionis celeritatem venis absorbendae pinguedinis officium imputatum est. Sic alaudae, quem adipem noctu collegerint, eundem inter diu amittunt, quod Walthero ex aucta tum electricitate aëris, qua cutis et pulmonum actiones prostratae iaceant, repetendum videtur; sic in febricitantibus mira adipis absorptio animadvertitur; attamen horum nihil probat, adipem venis absorberi; nonne enim statim post coenam chyli sat multum in sanguine invenimus ope lymphaticorum tantum vasorum fabricatum? Ii autem praesertim absorptionem adipis per venas tueri conantur, qui in sanguine animadvertisse adipem sibi visi sunt [29].

§. 11.

Adeps quin ad nutriendum corpus plurimum conferat si eo tanquam cibo utimur, nemo temere dubitaverit, qui, quid ex nonnullis iisque admirabilibus experimentis consecutum sit, secum reputaverit. Starkius quidem postquam aliquam diu variis alimentis usus erat, corporis pondus examinando sebi invenit multo minore copia ad restituendum quotidianum decrementum opus esse, quam alius cuius vis nutrimenti, triploque, et

29) Barthol. epist. med. Cent. I. ep. 2. — Tulpius obs. med. Lib. III. p. 18. — Haller l. c. T. 1. p. 43.

et quod excurrat, illius nutrientes vires esse maiores, quam carnis adipe carentis. Alius Britannus, qui per sex integras hebdomades nulla alia re, quam sevo vitam sustentaverat, valuit, qui cum idem caseo experiretur, mortuus est. Sed in corpore ipso animatus adeps sensim maturatur, usque subtilissimum fere vitalium alimentorum fiat, quo corporis natura saluti suae prospiciens nonnumquam utatur. Sic in febribus nullo extraneo nutrimento corpus indigens ex semet ipso vel exactissimis materiae partibus ac praesertim adipe animalis indole praegnante nutritur, [30]) et si vel hoc neges, alio modo opus est, ut illa mira adipis absorptio febricitantibus conducat, unde merito Hippocrates sinistrum esse omen putavit, si febre correpti habitum suum non immutaverint. Quod autem nonnulli omnino homines pinguiores, pingui suo nutriri contendunt, scilicet, quod famem illos facilius perpeti animadvertamus, id equidem non temere affirmaverim, cum illud fortasse ex temperamento lentiori tardiorique irritabilitate pinguiorum hominum deducendum sit. Neque magis huc retulerim exemplum animalium hyberno tempore dormentium, quae ex doctorum aliquot sententiis versus autumnum sevum colligunt, ut hyeme eo nutriantur, cum iam Plinius [31]) animadvertat, ursos nonnunquam satis pin-

30) Samml. auserl. Abhandl. 6. Bd. S. 695.

31) Hist. nat. Lib. VIII. Cap. 36.

gues e speluncis suis exire, neque adeo liquidum sit, in illa mortis simili conditione ullius opus esse nutrimenti [32]).

§. 12.

In universa oeconomia animali nullius materiae secretio in se absoluta et a reliquarum secretionum consortio segregata est, imo in aliam aut restringendo aut augendo vires suas exercet; inter nonnullas autem uti adipis inter et fellis secretiones peculiaris quaedam intercedit consensio; ab altera altera afficitur turbatoque recto inter utramque libramento, se invicem impugnant. Sic in iis, qui obesitate nimia laboraverant, plerumque eius organi per quod fellis secretio fit, hepatis vitium aliquod manifestatur; in anseribus saginatis hepatis plerumque magna est amplificatio; denique species quaedam adipis, aurium sordes, sapore consensum suum satis confirmat [33]). Nonnullis secretionibus, praesertim sudore externo et intestinali, urinis, adipis accumulatio maxime restringitur; cum aliis, itidem ad naturam plantarum accedenibus, uticrinium et unguium originibus, adeps conspirare observatur; quae enim regiones adipe destitutae sunt, eaedem plerumque a crinibus liberae, atque ex adaucta absorptione adipis post morbos crines excidunt, et sic deinceps;

---

32) Darwin Zoonomie, übers. v. Brandis. Hannov. 1799. 2ten Theils 2te Abth. Cap. IV. 1. 4.

33) Plura qui desiderat, Lorrium adeat copiose de isto inter fel et adipem consensu disserentem. l. c.

in tabe autem ungues ob adipis absorptionem peculiari illa forma induuntur [34]).

In fine huius adumbrationis pauca de adipis vario usu in corpore animali animadverso disseramus, quae ab hoc loco non aliena esse videntur.

Quod primum ad mechanicos usus adipati involucri, adipe tamquam tenerrimo pulvinari cutis ubique aequabiliter extenditur, intervalla inter ossa et molliores regiones explentur, atque ea formae integritas perficitur, quae in mulieribus et infantibus maxime prodit. Tum agilitatem adeps eximie promovet, quam ob causam in artibus et circa eosdem, uti in cavitate humeri magna eius deponitur copia. Huc spectant, quae Lorrius de sacerdote quodam narrat melancholico, provectae iam aetatis, qui cum adeo exaruisset, ut fere numquam agitare corpus posset, quin artus eius singularem strepitum ederent, ex omnibus, et vel ex dorsi ossibus animadvertendum. Tum adeps cutaneum facit unguentum, quo cuticula perungitur et ab externis damnis servatur; hinc cutis pinguiorum nitet, macilentorum aspera est et rigida et horum labia, si frigori se obiiciunt, scinduntur, ne-

34) Haller Elem. phys Tom. V. p. 32. Adipem veram pilorum sedem esse, evidenter constat exemplo partium humani corporis, in quibus subinde vitio pili nascuntur In iis omnibus adeps est, cum neque epidermis sit, neque cuticula, neque cutis. In ovarii atheromate plenas cellulas pilis nigris ipse vidi rel. — Crausius de capillis. Jen. 1700. — Kniephoff von den Haaren. Leipz. 1773. — Werner Diss. de unguibus humanis varioque modo, quo possunt corrumpi. Lips. 1773.

que veri est dissimile, peculiarem illum pruritum senilem ex absorptione adipis huic aetati propria esse deducendum. Praeter hos mechanicos usus adipis alii quoque extant iique longe graviores. Primum enim calorem continet neque facile dimittit; hinc omentum magna adipis copia infarctum, calorem animalem continere credendum est, quod in digestionis functione non infimas agere partes crederem. Tum ad chemicum adipis usum Burdachius dephlogisticationem sanguinis refert; denique servatrix corporis humani natura adipem in vesiculis depositum ad altiores suos usus adhibet; postremum nexus aliquis inter adipem et imponderabiles vires, electricitatem, galvanismum et magnetismum intercedere videtur.

Caput alterum.

De obesitate nimia.

§. 1.

Diagnosis [35]).

Quem nunc tractamus morbum, non ita promptum fuerit, simplicibus et compositis

---

35) Graecis hic morbus *Πολυσαρκία* vel *πολυσωματία* dicitur. Galenus alicubi eum denominat *ὑπερβάλλουσαν εὐσαρκίαν*. Recentiores, atque imprimis Sauvagesius (Nosol. T. III. p. 2. ed. Amst. 1777) cum plethoram obesam, polysarciam adiposam, Physconiam adiposam, Steatiten nuncupant.

verbis definire et describere quam fortasse nonnemini videatur; nam veterum plerique nimiam obesitatem morbum esse negant [36]), neque ipse Galenus, qui copiose de hoc morbo disseruit, in ea definienda sibi constans reperitur [37]). Nostris demum temporibus Lorrius proclivitatem corporis ad nimis pinguescendum non solum a legitima sanitatis conditione recedere plurimum, sed in cachexiarum etiam numerum referendam multisque ex rationibus cum hydrope esse comparandam, evidenter et egregie probavit. Quae inter obesitatem nimiam et inter graviditatem, tympaniten et quae forte similia in hunc censum veniant a nonnullis exponuntur discrimina, cum nimis sint perspicua, nolui in iis recensendis oleum et operam perdere; multo gravius id est discriminis, quod, nec veteribus incognitum, inter obesitatem nimiam et inter corpulentiam observatur, quae cum illi externa facie ita sit similis, ut nonnullis [38]) haec sibi vocabula synonyma esse videantur, longe tamen diversae est, neque omnino morbosae naturae [39]). Corpulentia enim in sanguineis hominibus non raro obvenit, cum summo omnium actionum vigore combinata: contra nimis

---

36) Laur. Jaub. Opp. Tom. I. Lib. VII. Dec. 2. p. 58.

37) Galen. Opp. Class. III. De tumoribus praeter naturam fol. 82.

38) Sennert Prax. med. l. v. Part. 1. C. 4. p. 22.

39) Schmalz diagnost. Tabellen. Dresd. 1816. p. 180.

obesus plerumque phlegmatici temperamenti est eiusque actiones tardiores sunt et segniores; corpulenti hominis musculi solidissimi quocumque corporis motu perspicui fiunt; cutis tentanti vegeta ac florida apparet; obesorum autem musculi laxiores deprehenduntur, neque vix artus in movendo cerni possunt, unde ab Hippocrati ἄναρθοι dicebantur; patet hinc polysarciae nomen in solam corpulentiam convenire, nequaquam autem in obesitatem. Ceterum quod driscrimen inter obesitatem et corpulentiam interest, iam Galenus animadvertit, cum hanc ex abundantia sanguinis, ex frigiditate autem habitus illam oriri tradit [40]. Ad potiora signa obesitatis nimiae, satis luculenta, singularem quandam ἀσυμμετρίαν referimus, mollitiem et plerumque glabritiem in cute infarcta, vasa sanguifera e superficie cutis maximam partem recedentia, et similia.

Quod de divisione obesitatis, sat antiquam Galeno debemus, qui eam aut naturalem, quae iam ab incunabulis inde oriatur, aut ascititiam esse dicit, quae ex vita lauta et aliis quibusdam noxiosis rebus postea recensendis originem suam petat. Alii obesitatem ita dividunt, ut eam aut moderatam, qua functiones non multum, aut immoderatam, qua pleraeque cohibeantur, esse dicamus.

---

40) Franc. Sylv. Prax. med. L. I. C. 38. §. 4.

§. 2.
Exempla obesitatis.

Extant tam apud veteres quam apud recentiores plurima obesitatis nimiae exempla, quae cum omnia referre a consilio huius scriptionis alienum sit, satius esse rati, scriptores, e quibus plura peti possint, in nota huic loco snbiecta nominare [41]); hoc loco pauca tantum speciminis causa apponamus.

Nicomachi cuiusdam Smyrnaei ita adipati, ut se movere omnino non posset, Galenus, alius hominis ita obesi, ut fores carceris, ad quem condemnatus erat, intrare nequiret, Zeilerus [42]) mentionem faciunt, aliud obesi hominis exemplum Schaperus [43]) memorat, cui, cum alvus ad genua usque propenderet et genitalia operiret, aestatem integram cubiculo excedere non liceret. Atque huic similia alia quoque referuntur obesitatis exempla ita immanis, ut si per consensum scriptorum liceret, ficta ea esse diceremus. Fuerunt, qui pondo quadringentas, quingentas et vel sexcentas libras

---

41) Sennert Prax. L. V. P. 1. C. 4. — Fabr. Hild. Obss. med. chir. Cent. VI. obs. 97. — Thom. Barthol. Cent. II. epist. 81 et 82. — Thom. Barthol. Hist. anat. Cent. III. p. 88. — Bonet Sepulchr. L. II. Sect. XI. obs. 17. — Haller Elem. Phys. T. I. P. 50. — Buffon allgem. Naturgesch. Bd. 17. S. 255. — Carl v. Linné vollst. Natursystem, herausgegeben v. Müller. Leipzig 1748 — Eph. N. C. in App. ad Dec. III. Ann. 1. p. 128.

42) Mart. Zeilerus Cent. I. epist. 91. Cent. III. epist. 81. Cent. V. epist. 24.

43) Diss. de obesitate nim. Rostoch. — p. 44.

excederent, quam in rem conferri possunt, quae de Eduardo Brighto [44]) in libro infra allato afferuntur. Quemadmodum iam dictum est, in prima iuventute obesitas aliquando obvenit, qualia plurima extant exempla praeter aliud apud Tulpium [45]).

Tilesius [46]) infantem vidit quatuor annorum pondo libras triginta tres aequantem. Plerumque autem in his infantibus, quorum maior numerus ad sexum sequiorem, quam ad potiorem pertinebat, crinium formatio viget; Tilesius et Eschenmayerus pulmones iusto minores et angustos viderunt; neque hepatis iusta erat magnitudo, quod semel ulceribus etiam obsitum inveniebatur [47]).

§. 3.

De variis obesitatis incommodis et symptomatibus.

Primum idque molestissimum simul incommodum, quod in hoc morbo copiosa pinguedo tum tendinibus musculorum tum artuum iuncturis interspersa, secum ferat, in impedita, aut, ut nonnumquam observatum est, in plane praestricta corporis mobilitate versatur. Sic de Henrico septimo Britannia-

---

44) Philosophical Transactions Vol. 47. p. 187.

45) Obss. med. Lib. III. obs. LV.

46) Tilesius vorläufige Nachricht von einem ungewöhnlich dicken Kinde in Voigts Magaz. Bd. V. S. 289.

47) Sandifort Obss. anat. pathol. Lib. IV. C. 2. p. 21. — Kästner Hamb. Mag. Bd. II. S. 356. — Eschenmayer Beschreibung eines monströsen Fettmädchens, in den Tübinger Blättern Ao. 1805. Bd. I. S. 261. 285.

rum rege accepimus, qui, cum ob immensam obesitatem neque ianuas superare, neque scandere super scalas posset, machinae cuiusdam ope in lectica sursum vehebatur. Alterum huius morbi symptoma impeditam respirationem esse statuerim. Anhelant enim obesi, partim quia vel summa cum molestia motus dare canantur, partim etiamsi ne membrum quidem moveant, iam primitus ac per se, asthmate continuo laborant; neque hoc mirum. Abdominis enim musculi nimio pinguedinis onere adeo obsessi, ipsa abdominis viscera adipe adeo infarcta sunt, ut prementi et in superficiem tendenti diaphragmati aegerrime cedant, [48]) quo thoracis cavum nec minus pectoralium et intercostalium musculorum pinguedine valde coarctetur necesse est. Quod si iam haec respirandi difficultatem promoveant, non minora, adipe circa cor interdum collecto, et cordis ventriculos et vasa maiora comprimente, respirationis damna oriuntur; quibus addi potest peculiaris illa obesorum ad spatium plethora propter quam Aristoteles ὀλιγαίμους eos vocavit [49]). Hinc intelligi licet, quot cordis pulmonumque periculosissimi morbi nimis obesis immineant, inter quos plerumque angina pectoris refe-

---

48) Morgagni de Sedibus et causis morb. Ep. 27. Ast. 2. — Thom. Fien. sem. Part. II. C. 2. p. 247.

49) Pinguedinem autem in corporis exsuperante obesitate in vasa sanguifera intrare, ibi concrescere atque asthma, lipothymiam mortemque inferre, et corpora illa albicantia pluries in vasis reperta, adipem concretam esse, ad fabulas medicas pertinet.

renda est. Fothergillius mulierem quandam triginta trium annorum dyspnoea refert laborasse, nimia ad somnum proclivitate praestrictaque corporis mobilitate; quae, cum antiphlogisticam vivendi rationem, quam ipse praescripsisset, non esset secuta, sed aestui se saepe exposuisset, intercluso spiritu extincta sit. Instituta sectione, viscera integra quidem ac sana, sed adipe nimis impleta reperta sunt [50]). Similia extant apud Petr. Forestum [51]) asthmatis per obesitatem orti exempla. Tertium obesitatis symptoma ad vasorum compagem pertinet; de plethora ad spatium modo diximus, sed obesorum sanguis in cerebrum circuitu suo maxime tendit atque quo quis aestui se saepius credit, eo maiori vi et robore; hinc constans illud obesitatis symptoma, quod vertigine corripi obesos videmus; hinc sopore detentos fuisse legimus, [52]) hinc apoplexia vitam eorum saepenumero aufert. Neque autem minus quam vasa sanguifera, absorbentia etiam laborare constat, quae cum maxime debilitata sint, facilem in hydropum genus transitum permittunt; veri itaque similimum, quod et veteres iam intellexerunt, et recentiores homines comprobarunt, contagiosis morbis grassantibus, obesos

---

50) Fothergill von der Brustbräune in den Samml. auserles. Abh. Bd. III. St. 1.

51) Obss. med. L. XXI. obs. 10. p. 60.

52) Aelianus Var. hist. L. 9. — Marc. Malpighi Epist. anat. p. 106. — Barthol. Hist. anat. L. I. C. 3. p. 19.

infectioni magis esse obnoxios, quam macilentos. Accedimus iam ad ea obesitatis incommoda, quae ad gastricum systema pertinent. Huc enim refero nauseam atque inprimis vomitum, quo obesi interdum per omnem vitam cruciantur, ex stomacho per omentum nimis adiposum [53]) oppresso deducendum, qui ita detrahitur, ut non amplius possit afferri cibique non per pylorum in intestina perveniant, sed per oesophagum redire cogantur; partim autem ex vitiis hepatis et fellis, quae ab obesitate nimia abesse non solere, semel iterumque admonui, vomitum illum perpetuum oriri coniicere licet. Neque hic silentio praetermittere possum, quod Hippocrates refert: nimis obesos minus quam macilentos emeticis pares esse, qua de re conferri possunt, quae in hunc locum ab interpretibus allata sunt [54]).

Postremo loco de obesorum impotentia obesarumque sterilitate dicendum. Veteres enim fere ad unum omnes in eo consentiunt, quod nimis obesos impotentes, obesas autem steriles esse tradunt [55]). Atque revera tam membrum virile per adipem nimis coarctatum, quam quod vel obesioribus viris vel fe-

---

53) In hominibus triginta annorum, si bona valetudine gaudent, omentum semilibram ad libram usque aequat; in obesis autem Bonetus et Boerhaavius omentum pondo triginta librarum et quod excurrit invenerunt. Quantum hi miseri onus secum tulerunt!

54) Aph. Sect. IV. Aph. 7.

55) Hipp. S. V. Aph. 46.

minis commune est phlegmaticum temperamentum generationem promovere nequeunt [56]). Utut autem est, sententia haec veterum veritatem excedit; nam Fallopius (de decoratione) plurima profert exempla obesorum quibus generandi vis neutiquam defuit. Neque quod Hippocrates perhibet, in mulieribus uterum per omentum adipe infarctum comprimi atque ita conceptionem impederi, in tanta anatomiae nostrae luce quis temere concesserit, cum probalile sit, Hipprocratem animalium sectione ad hunc errorem esse perductum. Fortasse obesarum sterilitas ex ovariorum et tubarum degeneratione steatomatosa proficiscitur [57]). Sed post conceptionem etiam obesis mulieribus maxima pericula tam in graviditatis quam in partus potissimum tempore imminere liquet; namque ob uterum per adipis sarcinam arctissimis finibus coarctatum facillime abortiunt; et si justo partus tempore pariant, ob asthma illud peculiare de quo supra disseruimus, parturiendi laboribus pares esse nequeunt, quam ob rem plerumque infantes inanimi nascuntur [58]). Attamen non negaverim, iis saepius satis prospere partum successisse, cum egomet ipse de muliere quasi in adipe abscondita accepissem, quae felicissime gemellos enixa sit.

---

56) Nicolai Venette Traité de la génération de l'homme. Part. II. Chap. 10. p. 238.

57) Aët. Tetrab. IV. Serm. IV. Caus. steril. Cap. XXVI.

58) Forest. l. c. p. 755.

Praecipua haec obesitatis exsuperantis incommoda atque affectiones paucis describere conatus sum, quae si omnia recenserem, commentarioli limites excederet.

§. 4.

Causarum investigatio.

Quamquam intima obesitatis natura nos fugiet, donec adipis generatio tenebris obsita erit, tamen coniicere licet ex peculiari quadam lymphaticorum vasorum debilitate, magnaque omnium fere rigidarum partium, contextus praesertim cellulosi languore ei simillimo quem in cutaneo hydrope animadvertimus, obesitatem esse deducendam 59). Caveas autem, ne eos homines, qui virium vigorem ac robur capiunt, atque idcirco corpulenti fiunt, cum obesis commisceas, cuius discriminis iam in diagnosi mentionem iniecimus; nam corpulentia alias easque vel maxime diversas agnoscit causas quam pinguedinis nimia accumulatio. Hanc autem ad cachexiarum genus pertinere, a corporis laxitate et debilitate effici, experientia comprobavit; convalescentibus enim morbo quodam maxime debilitante v. c. haemorrhagia vel febre nervosa subitanea et copiosissima pinguedo contingit, quin pristinum robur corpori redeat; qui artus integros amiserunt saepe numero magnam adipis colligunt copiam; musculi maxime debilitati tandem in adipem

---

59) Xav. Bichat in den Samml. auserl. Abh. Bd. XXI. St. 1. S. 50. — Xav. Janssen l. c. p. 68.

alterantur [60]), in tabescentibus pinguedo non aeque ac musculi ceteraeque partes consumitur, sed interdum iusta copia adest; in infantibus scrofulosis pinguedinis ubertas observatur, sed roboris defectus. Quibus probe perpensis, merito Brunonem obesitatem ad morbos asthenicos redegisse, liquet. Nonnunquam praeter indirectam quae dicitur debilitatem vitia alicuius visceris, praesertim hepatis ado besitatem contrahendam plurimum faciunt. Sed quo adeps in telam cellulosam nimis effnndatur, proclivitate ad id praesertim opus est peculiari ac primum quidem haereditaria, siquidem ex parentibus obesis obesos liberos nasci animadvertimus, qui in eo quoque parentum naturam sequuntur, quod temperamento phlegmatico obesitati propitio praediti sunt; deinde negari non licet, quasdam regiones, imprimis frigidiores humidioresque ad obesitatem comparandam plurimum facere, quod iam ab Hippocrate observatum est, qui Scythas nimis adipatos fuisse refert; in calidioribus autem regionibus nimium carbonis et hydrogenetae transpirando extinguitur, quam quod nimio adipi formando par sit. Proximo loco nimiam animi tranquillitatem nimiumque corporis otium inter causas disponentes ponimus. Neque enim agricola strenuus, qui maximos labores perfert, neque

60) Autenrieth. l. c. II Th. p. 764. — Vandermonde Journ. de med. T. X. p. 438. — Vicq d'Azyr Mém. prix de l'acad. de Paris ann. 1773. — Schellhammer de morbis fibrae muscularis in Reils Archiv für die Physiol. Bd. I.

cuius animus perpetuo turbatur, facile ad obesitatem pervenerit [61]); is tantum qui subtilissimis atque exactissimis alimentis digestionis officinam exercet, neque ullum laborem ad alimenta digerenda perfert, imo summae sese tam corporis quam animi tranquillitati committit, naturae perversae poenas luet. Quam ob rem somno tamquam summo tranquillitatis gradui, recto sublimioris assimilationis tempori dediti, nisi corpus salutari motu quodam praeparaverint in obesitatem maxime inclinant. Aeque ac corporis tranquillitas, animi quoque indolentia quaedam cuicunque excitanti affectioni inimica v. c. in melancholicis sedatioribus saepe numero, docente Aretaeo [62]) obesitati ansam praebet. Hinc nonnunquam captivos, in quibus ne ulla quidem causarum obesitatis cogitari potest, praecisa omni spe, neque laetitiae neque doloris capaces, ad altum pinguitudinis gradum accedere videmus, quo satis convincimur, ad cachexias magis quam ad robur obesitatem pertinere [63]).

Neque est quod multum inquiramus, cur bestiae eviratae tam celeriter pinguescunt; quum potentissimo illo amoris venerisque de-

---

61) Idem in animalibus observari licet. Belluae enim nunquam obesae fiunt, quemadmodum domesticae bestiae.

62) Morb. chron. Lib. 1. p. 36.

63) Eandem ob causam, scilicet tranquillitatem et corporis et animi et infantes et feminae in obesitatem inclinant.

siderio careant, quo viratae vexantur [64]). Neque ambigitur ideo, animalia luce privata ad obesitatem nimiam pervenire. Inter causas remotas primo loco alimentorum quam maxime nutrientium abusum ponimus. De eupeptis [65]) concoctilibus esculentis nolo multus esse; sufficiat monuisse in obesitatem inclinantibus alimenta e plantis magis quam ex animalibus obesitatem augere, quod et in bestiis videre est: herbivorae enim semper magis in obesitatem vergunt, quam carnivorae. Potus quoque nimis nutrientis abusum plus ad obesitatem conferre quam solidorum nutrimentorum dixerim, qua de re conferri possunt, quae Donaldus M'onro l. c. in eam disputat [66]).

§. 5.
Prognosis.

Quoad prognosin nostri affectus, veteres malam habent, ac si altiore gradu adsit obesitas, quo fere omnes corporis actiones turbantur, revera pessima est [67]), maxime autem periculosa illa obesitatis species reperitur, quam in diagnosi naturalis nomine insignivimus. Attamen plura etiam apud veteres extant

64) Nunquam salaces bestiae, quemadmodum caper et hircus, obesitatem comparant.

65) Cattieri Obs. 12 13. — A. Corn. Cels. Lib. I. C. 2. pag. 10. — Pauli De Nutritione naturali ac praeternaturali Lips. MDCClX. p. 21.

66) Samml. Bd. XIII. St. II. p. 196.

67) Hipp. S. II. Aph. 44. οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν. Cels. l. II. c. 2.

extant sanatae obesitatis exempla. Sic Galenus Nicomachum Smyrnaeam qui obesitatis causa ex loco in locum moveri non potuit, ab Aesculapio sanatum refert.

§. 6.

Curatio.

Quod in quovis fere morbo a perito medico requiritur, ut non satis habeat morbi nomen affectionesque tenere, sed cuiusvis aegroti propriam in indolem inquirat atque ex ea medendi consilium capiat, id iis praesertim medicis observandum est, qui obesitatem sanare conantur. Medicaminibus enim pharmaceuticis solis aut nihil aut fere minimum efficitur; qui vero medicus medicaminibus turbulenter rem aggredi velit, is verendum est ne non dico consilium suum non efficiat, verum etiam deteriorem morbum excitet; non maxima ac fere unica spes ex victu obesi probe instituto petenda, qui propriae aegroti naturae accomodatus sit.

Primum vero morbi stadium, iustum sanandi tempus ne temere elabi patiamur, cavendum est; nam cum morbus ad secundum iam pervenit stadium, vix ulla concipi potest sanandi spes.

Ipsae indicationes therapeuticae hae sunt:

Prima, ut iam accumulatam pinguedinem e corpore eliminemus 68),

altera, ut novam accumulationem praecaveamus.

---

68) Olim id medicos nonnullos chirurgicis adminiculis tentasse memoratu dignissimum est. — Plinius l. c. Lib. XI. C. 57. p. 811.

Optime consilia illa victu rite instituendo assequuntur, cuius paucas tantum hic regulas ponam, quae et ipsae ex cuiusvis aegroti indole moderandae sunt.

Si enim obesus in gravi quodam loco uti in frigidiori vel humidiori versatur, si fieri potest, in salubrem mittatur, sed ita, ut non repente fiat sed sensim sedis mutatio, quo itinere rerum quoque varietas non contemnendum est sanandi adminiculum. Eodem modo ciborum diminuenda ac moderanda est copia, quam si repente diminueres, ne noceas verendum est. Ipsi autem cibi quam maxime aromatibus sint conditi; neque creberrimus horraeorum fructuum usus satis suaderi potest. Quod ad potum attinet, tenuis sit neque nutrientis naturae; iuscula diuretica saepius propinentur; aqua cum acido quodam commisceatur, nec nisi raro ac quod acidi multum contineat concedatur vinum generosum sed minori tantum copia. Somnus cohibendus est neque eum nisi post magnum corporis motum largiamur, et cubili quidem duro atque aspero.

Nimia et corporis et animi tranquillitas fugienda est, quare nunquam obesos ad indolentiam pervenire sinamus verum et animi recreatione et corporis exercitio morbo subveniamus 69) necesse est; de quo praesertim Caelium Aurelianum auctorem habemus 70).

69) Similitudo quaedam inter huius mere physici morbi et inter psychicorum morborum medelam intercedere mihi videtur.

70) Cael. Aurel. Siccens. Morb. chron. Lib. V. rec. praef.

Therapeutica sanandi ratio idcirco tam incerta est, quod in tanta causarum obscuritate saepe cogimur ad empiricam magis medelam nos conferre, viamque sanandi rationalem derelinquere. Non meum est, hoc loco farraginem omnium medicamentorum experientia et vetere et recentiore comprobatorum referre; satius videtur nonnulla quaedam et ea praecipua recensere eorumque usum atque abusum paucis describere.

A. Venae sectio.

De hoc remedio quanta fuerit inter eruditos lis, non huius loci est pluribus verbis referre [71]). Equidem in eam inclino sententiam, ut nonnisi in quibusdam affectibus a sanguinis impetu deducendis, neque tam ad tollendum quam ad leniendum morbum omnino adhibendam esse putem. Qui enim tam universalem atque egregium huic medicamini effectum attribuerunt, polysarciam vel corpulentiam ab obesitate non sat distinxisse veri simillimum est, quum quandoque obesitatem venae sectione adauctam esse legimus et cognitum praeterea est, lanios in Britannia iteratis venaesectionibus vitulos ad pinguitudinem perducere consuesse. Idem de sanguisugis, ceterisque debilitantibus remediis dicendum [72]).

---

71) Mercurialis de decoratione p. 29—31. — Rodr. a Castr. de morb. mul: Part. 2. L. 3 C. 3. p. 334.

72) Zacut. Lusit. med. princ. hist. L. VI. p. 1. prax. admir. observ. 108. De vesicatoriis ulceribusque arte factis

B. Acida.

Modicum acidorum vegetabilium in obesitate usum saluberrimum esse, iam commemoravimus, cum de victu rite instituendo paucis locuti sumus, prae omnibus autem acidum aceticum magnam in debellanda obesitate laudem sibi comparavit, quod vero nonnisi summa cautela adhibendum est, cum frequentiorem aceti usum, ventriculi indurationes secutae sint [73]).

C. Purgantia.

Alii laudant, alii prorsus eiiciunt [74]). Similitudo autem quae inter morbosam obesitatem atque hydropem intercedit probabile reddit, hoc genus medicaminum caute adhibitum saluberrimos interdum effectus exserere. Aloëtica imprimis suaserim, quae peculiari modo in bilem, cum pinguedine, quod iterum iterumque monui, conspirantem agere solent [75]).

D. Vomitoria [76]).

Non sine utilitate nonnumquam adhibita fuisse experientia docuit; ac si potentissimum stimulum respicias, quem in omnes corporis

---

atq. in gangraenam non raro immutatis, quibus obesi frustra vexabantur disputatum est l. c. — Samml. med. Wahrnehmungen VI. Bd. p. 444.

73) Act. reg. soc. Havn. Vol. I. p. 106. — Eph. N. C. Dec. III. Ann. I. obs. XXVII. p. 50.

74) Du Chemin ergo obesa corpora catharticis tenuanda Par. 1645. — Lang. Prax. med. Oper. Part. 2. p. 68. — Eph. N. C. Dec. II. Ann. VII. obs. 183. p. 346. — Petr. Forest. obs. 10. L. 31.

75) Actuarius Meth. med. Lib. III.

76) Eph. N. C. Dec. III. Ann. V. et VI. Cas. 65.

partes vomitorium exserit, nihil miraberis. Attamen circumspectione opus est, ne emeticis congestiones versus caput, obesis tam familiares, proliciantur; usus igitur emeticorum e propria cuiusque obesi natura instituendus ac moderandus est.

E. Diapnoica, Diaphoretica.

Ex omnibus, quae in hoc morbo proponuntur remediis ea praecipue videntur esse, quae maximam nos utilitatem sperare iubeant. Calor enim pinguedini inimicus tanquam praestantissimum remedium in obesitatem agit, quare corpus fere semper diapnoïcis leni madore conservandum est. Huc pertinent quae iam de mutua inter internam et externam cutis secretionem in priori libelli parte uberius disseruimus, et quod Ettmuellerus ait: eos non pinguescere, qui crebrius sudent, quia sudor nutrimentum corporis roridum evacuet [77]).

At quo levis sudor proliciatur, omnia illa ex diaphoreticorum tribu adhibeantur remedia, quae corpus nimium non excitant. Maxima autem spes in regimine diaphoretico posita est; aegrotus enim ad diaphoresin usque moveatur, qua ratione Galenus nimis obesae mulieri sanitatem se reddidisse gloriatur [78]).

Cutis ipsa frequenter volatilibus atque aromaticis remediis infricetur; in balneis denique calidis tam arte paratis, quam a natura

---

77) Op. Tom. I. p. 86.

78) Op. S. II. de Sanit. tuenda L. VI. 8.

largitis obesi salutem petant [79]), quorum tamen usus, nonnisi summa cautela concedi potest, tam propter obesorum ad apoplexiam promptitudinem, quam quod et minima refrigeratio irreparabilia damna daret mortemque adeo inferret [80]).

F. Diuretica [81]).

Haec quoque remedia ad tantum nomen pervenerunt; ut nonnulli medici solam in iis salutis spem ponant. Mihi quidem purgantibus anteponenda esse merito videntur.

G. Salivantia [82]).

Sunt qui ea suadeant, quia observatur, salivae excretionem corpora emaciare; per se autem intelligitur, id solum ad obesitatis remedium neutiquam sufficere, sed videndum esse, num forsan pericula quaedam remedio ipso cieri possint, morbo maiora, quod quidem salivantium usu valde metuendum est.

Neque absunt exempla asthmaticorum imprimis obesorum per nimiam solivam suffocatorum.

§. 7.

De locali pringuedinis accumulatione.

Quemadmodum per universam cutis compagem adeps nimis diffunditur, sic peculiaribus quibusdam locis accumulatam piuguedinem vel capsula cinctam vel sine ea, cuti-

---

79) Sennert l. c. Lib. 5. Part. 1. Cap. 4. p. 25.

80) Med. rat. system. Tom. II. Cap. VII. §. 28.

81) Forest. obs. 10. L. 31.

82) Bonet Sepulchret. L. II. S. II. obs. 36. — Eph. N. C. Dec. III. Ann. V. et VI. obs. 65. — Borell. Cent. II. obs. 2.

cula modo obtectam videmus, tumorumque saccatorum, cysticorum, tunicatorum vel si ad contenti indolem respicias meliceridum vel lipomatum vel steatomatum nominibus insignimus [83]). In ipsa universali corporis obesitate non raro lupiae spuriae reperiuntur nulla capsula cinctae vel primitus cum panniculo adiposo cohaerentes. Quod ad ipsam capsulam, plurimi eam ex cellulosa per pinguedinis massam magis congelante conflatam habent: sin autem adeps nulla vesicula circumseptus, uti in ovariis, iaceat, capsulam primitus adfuisse adipemque ipsum generasse manifestum fit. Tumores isti ad tantam magnitudinem perveniunt, ut corpori summa sint molestia summoque damno [84]). Petitius [85]) huiusmodi tumorem quadraginta octo librarum exsecavit. Externa corporis facie lipomata fere quavis regione observantur; in interno autem corpore rarius obveniunt. Neque enim de-

83) Dotzauer in Lod. Journ. für Chirurg. Bd. I. St. 1. S. 15. Tab. II. fig. 1. 2. — J. Chr. Loder Beob. u. Erfahr. über die Balggeschwülste v. B. J. Jacoby. Leipz. 1793. — Car. Thien Obss. med. chir. fascic. Lugd. Batav. 1743. p. 32. — Heist. de tumoribus cyst. singularib. Helmst. 1744. — Reichel Diss. de capitis tumoribus. Lips. 1765. — Handbuch der path. Anat. v. Joh. Friedr. Meckel. Lpzg. 1818. 2r Bd. 2te Abth.

84) Galenus de tumoribus Cap. V. — Galenus de meth. med. Lib. II. Cap. 2. — Anal. of a stearoid tumour in Edinb. med. and. surg. Journ. Vol. IX. 1806. p. 14. — Daniel Turner Abh. von den Krankheiten der Haut, aus d. Engl. Altenb. 1766. — Walther über die angebornen Fetthautgeschwülste und andre Bildungsfehler. Landshut 1814. — Portal in den Samml. 2. Bd. 3. St. S. 112.

85) Prix de l'académie royale de chirurgie. T. 4. p. 255.

sunt exempla lipomatum in intestinali tractu, in oesophago, duodeno coloque obviorum; frequentissime autem et copiosissime adeps in omento deponitur. Circa cor et pericardium nimium nonnumquam adipis colligitur [86]) itidem inter hepar eiusque tunicam, inter pleuram et pulmones. Quid? quod in ipso cerebro massa quaedam sebacea nucis avellanae magnitudine in chiasmatis nervorum opticorum regione observata est. Saepius autem inter renum morbos ureterum nimius adeps referendus est [87]).

Et haec hactenus. Commentariolum qualeque benevole accipiatis commilitonesprecor.

---

86) Testa della pinguedine accumulata intorno ai precordii in malattie del cuore. Bologna 18 1. — Kreyssig über die Krankheiten des Herzens 1. Buch. Th. 2. Abth. 2. p. 635. — Henr. Arndt. de tumorib. cordis tunicalis Berol. 1817.

87) Marc. Malpighi Epist. anat. p. 175. — Heer de Renum morbis. Hal. 1790.

Curriculum vitae auctoris
ex Decreto
Gratiosae Facultatis medicae Berolinensis
adiectum.

Natus sum Vratislaviae die vigesimo octavo mensis Martii anno millesimo septingentesimo nonagesimo sexto. Pater meus optimus curavit, ut iam a tenerrima aetate praestantissimis uterer praeceptoribus, qui me domi erudirent. Circa vitae annum decimum quartum gymnasii Mariae Magdalenae discipulus receptus biennii spatio ab infima classe usque in supremam progressus sum. Hanc autem duos annos frequentavi et tam in latinas quam graecas literas, quam in alia literarum rudimenta incubui. Non possum, quin omnibus dilectissimis praeceptoribus, inprimis autem viro celeberrimo Mansoni ac viro celeberrimo Kannegiessero pro eorum in me meritis quam maximas gratias agam. Examine abiturientis cum laude superato, Berolinum profectus sum, ubi Ill. C. A. Rudolphi tum temporis rector Magnificus me inter huius almae musarum sedis cives recepit. Quas per quadriennium et quod excurrit amplexus sum disciplinas hae sunt.

Zoologiam praeceptore Cel. Lichtenstein.
Botanicen praeceptoribus Cel. Link et Hayne.
Physicen praeceptore Cel. Fischer.
Chemiam praeceptore Ill. Hermbstädt.

Anatomiam universam et pathologicam praeceptore Ill. Rudolphi.

Osteologiam, Splanchnologiam, Syndesmologiam praeceptore Ill. Knape.

Neurologiam et Angiologiam praeceptore Cel. Rosenthal.

Corporibus incidendis in theatro anatomico ducib. Ill. Rudolphi et Knape operam dedi.

Physiologiam praeceptoribus Ill. Rudolphi et Cel. Horkel.

Pathologiam praeceptore Cel. Fr. Hufeland.

Pathologiam specialem Ill. Horn.

Therapiam omnem praeceptore Perill. Guil. Hufeland.

Materiam medicam praeceptoribus Ill. Berends et Cel. Osann.

Pharmacologiam praeceptore Cel. Link.

Chirurgiam omnem praeceptore Ill. Graefe.

Artem obstetriciam praeceptore Ill. de Siebold.

In clinicis institutionibus Illustrium virorum. C. G. Hufeland, Berends, Horn, Graefe, de Siebold morbis cognoscendis curandisque operam quam maximam navavi.

Iam vero tentamine et examine rigoroso coram Gratiosa Facultate medica rite absolutis, cursu anatomico et clinico peracto, nihil obstiturum spero, quo minus post dissertationem rite defensam Doctoris medicinae et chirurgiae honores adipiscar.

Theses defendendae.

1) Dantur remedia specifica.

2) Hydrargyrum in omni blennorrhoea syphylitica adhibendum.

3) Nullum in obesitatem remedium internum.

4) Dentitionem morbum esse nego.